



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. II. De Ritu seu devotione per tota[m] Missam observando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

Missalis præscriptum recitandæ; ad quas et si Azor & alij sub mortali, P. Gobat n. 387. & Scottia sub veniali, Tamburinus l. 1. c. 7. §. 1. & Fagundez sub nullo peccato (modò alias preces substituat) Celebrantem obligari doceant, semper tamen suadendum est, ut eas Celebraturus Sacerdos non facillè omittat, cum pulchros, atque ad Sacrificium digniùs offerendum perquam idoneos affectus contineant. Caveat tamen, ut eadem clariore, & ab alijs intelligibili voce cum audientium offensione dicat.

TITULUS II.

DE RITV SEV DEVOTIONE PER TOTAM MISSAM OB- SERVANDO.

PER RITUM hunc generalem intellige varias praxes, quas passim Ascetæ suggerunt, ad solidæ devotionis sensum, dum Sacrificium hoc offertur, excitandum, ex quibus quivis eam eligere poterit, quam Genio suo ad dictum finem obtinendum aptissimam experienciâ Magistrâ probaverit; mihi quidem ea præ reliquis eligenda est visa, quæ affectibus, quos ipsæ Orationes in Missali præscriptæ suggerunt, excitandis affectuosè insitit; de reliquo verò sicut Celebrans Christum in ipso Sacrificio offerendo repræsentat, ita optimè quoque facturum credo, si in modo quoque offerendi illum imitari conetur. Itaque

I. Sicut ille priùs valedixit S. Matri suæ, & alijs Amicis, ita & Sacerdos antè, quàm ad Altare accedat, valedicat omnibus negotijs & Amicis suis, omnem de ijs cogitationem & sollicitudinem, præterquam sub *Memento* deponens.

II. Sicut Christus priùs judicatus & accusatus est, ita & Celebrans seipsum tum per Confessionem suo tempore præmissam, tum per eam, quæ in ingressu post Psalmum *Judica* peragitur, coram DEO accuset, & illius judicio submittat.

III. Sicut Christus tribus clavis Cruci affixus fuit, ita Celebrans Altari per tres potentias, memoriam videlicet, intellectum & voluntatem ita se affigere studeat, ut nulla alia in re, quàm in ijs, quæ ad Sacrificium hoc ritè offerendum pertinent, occupetur.

IV. Sicut Christus in Cruce memor fuit quadruplicis generis Personarum, scilicet Inimicorum, Peccatorum in Latrone, Amicorum in sua Matre, & S. Joanne, & sui ipsius, ac pro his omnibus non solum oravit, sed incredibili zelo (quem verbo *Sitio* indicavit) salutem eorum Patri aeterno commendavit, ita Celebrans quoque cogitet hunc zelum sibi imitandum, & pro dictis Personis sub *Memento* ardentem & affectuosè orandum esse.

V. Sicut Christus irrisiones astantium & transeuntium non curavit, neque propter eos de Cruce, ut ipsi irrisoriè pecebant, descendit; ita & Celebrans, licet ij, qui Missam audiunt, moræ impatientes, querantur, optentque ipsum ab Altari recedere, Missam abbreviare, & nisi faciat, calumnientur, & irascantur, constanter in Altari perseveret, & agat, quod agit, salvâ tamen semper discretionem & publicam ædificationem.

VI. Sicut Christus omnia, quæ de Sacrificio suo in Cruce offerendo in Scriptura Sacra prædicta erant, plenissimè consummavit; ita & Celebrans omnes Rubricas & Cæremonias, quæ pro Sacrificio Missæ præscribuntur, exactè observare studeat, ut & ipse finito sacro dicere possit: *Consummatum est.*

VII. Sicut Christus post Spiritum suum in manus Patris commendatum in Limbum & Purgatorium descendit, & ex utroque Animas ibi detentas liberavit, ita Sacerdos quoque post Consecrationem sub *Memento* pro Defunctis ad Animas purgantes mente descendat, & quotquot potest, per applicationem Sacrificij inde extrahere studeat.

Atque hic modus vel ex eo capite videretur solidior & præferendus, quòd nec multâ reflexione indigeat, nec aliam ferè industriam, quàm quæ ab ipsa Sacrificij excellentia jure exigitur, requirat, aliunde verò propter conformitatem cum modo à Christo in Cruce adhibito, meritò & ipsi, & Patri aeterno gratior futurus credatur.

TITU